

Placuit igitur ascendere montem Sile et inter frigidissimas licet alpes locum querere, in quo possent quomodolibet habitare. Et primo partes Lese fluminis discurrentes, cum illorum asperitate et inequalitate locorum fatigati reverterentur et Lese dimisso per aliam viam socio³⁰⁾ destinatum locum, divertit ipse cum converso et laico ad locum, ubi Flos Albo flumini iungitur, sublimibus ubi montibus circumdantur. Placuit suis, et passibus quatuor spatia manualiter terminans degendi tugurii faciendique venit ad socium, qui non sine future rei presagio solus ibi steterat et solitarius expectabat. Tunc demum reversi sunt ad Petram quam dicunt Latam, ibi donec unum in Flore tugurium fieret expectantes. Regnante igitur dicto rege^{a)} Guillermo et pace usquequaque vergente recesserunt prorsus a Petra et se inter alpes in Flore — locus in flumine sic vocatus, qui vere inter montes et colles situs est — arctaverunt^{b)}, ut novus in Nazaret fructus Sancti Spiritus nuntiaretur, quoadusque Dominus in omnem terram ex hoc salutem maximam operaretur.

Cum hoc tale ceptum esset et estate tota magnum Deo phase³¹⁾ Israelite novi, viri utique procedentes in Floris solitudinem, celebrarent et ageretur peregrinationis huiusmodi mensis sextus, duodecimus vero facti tugurii, ut tempestas anno, quo^{c)} vir Dei predixerat³²⁾, incoaret, rex obiit³³⁾. Et reliquis subito turbatis, calix omnibus, sicut sanctus probat dies, omni terre populo perturbandus in prima effusione, usque ad ipsum Ioachim <et> eos, quos ceperat informare, pervenit. Minister eius, qui post pacificum regem stetit³⁴⁾, baiuli eius et camerarii vallis Gratis inquietare illos, affligere et deterrere ceperunt, minas et iniurias inferentes, quatinus semen sanctum, quod nuper contra naturam montium estate fuerat seminatum, moraretur^{d)} et postea fructum multum afferret estate.

Vexatus Ioachim et afflictus ab executoribus Faraonis compulsus est adire regem et petere in hec verba: „Iubet“ inquit „rex, ut ego et pueri, quos mihi dedit Dominus in unum iurata Christi militia congregatos, <in> ea quam elegi^{e)} parte montium Sile sicut cervi vexari permittit?“ O vere sapiens et ut alter Josef ventura (?) sciens! Vidit causam fratrum

a) regge Hs., B. b) korr. aus arttaverunt Hs. c) que Hs., B. d) gemeint moreretur? e) folgt in una Hs., B; in ea parte Sylae, quam elegi L.

³⁰⁾ S. o. S. 478 f.; et Lese ... locum nicht bei L.

³¹⁾ Vgl. Exod. 12, 11: est enim Phase (id est transitus) domini (Passah).

³²⁾ S. o. S. 533.

³³⁾ Wilhelm II. starb am 18. Nov. 1189.

³⁴⁾ Gemeint (nirgends genannt) ist Tankred von Lecce, der sich im Januar 1190 in Palermo zum König von Sizilien krönen ließ.